

uum tecum pereat. Item: Non est tibi pars neq; fors in hoc negotio. Resipisce igitur ab hac malitiâ tuâ, & roga DEUM, si forte remittatur tibi cogitatio cordis tui: Cui ille metu poenæ respondit, Precamini vos pro me apud Dominum, ne quid me invadat eorum, quæ dixistis.

XLVII.

Videndum igitur est in hoc altero Auditorum genere, qui sermonem cum gaudio excipiunt, sed non propter sermonē, nec fide salvificâ (quod patet, quia radicem non habent, vnde & tempore tentationis abscedūt) videndum est (inquam) etiam atq; etiam, quantum quisq; eorum cognitionis expressæ de veritate Evangelicâ, quoad fundamentum salutis, à Spiritu Sancto acceperit, & an ἐκ σοίως, hoc est, spontaneæ apostasiæ vltro neo motu, eam abjecerit? nec ne? priusquam eos, licet à veritate recedentes, peccati in Spiritum reos peragamus.

XLVIII.

Nec enim omnes hypocritæ (licet omnes in extremas tenebras eiciendi, nisi resipuerint) propterea statim in Spiritum peccasse perhibēdi sunt. Possunt enim ex προσωπίδος illis, tempore tentationis resilientibus, ac deficientibus, rursus instaurari aliqui, ac vera tandem fide per DEI singularem gratiam, ac infinitam miserationum abyssum, vel sub extremum vitæ donari: modò veritatem plenè agnitam, ἐκ σοίως non repulerint, nec Spiritum Gratiae scienter contumeliâ affecerint.

XLIX.

Tertium Auditorum Evangelii genus est eorum, qui semen in spinas excipiunt, hoc est, sermonem audiunt, sed sollicitudines huius seculi, & fallacia divitiarum, & cupiditates, quæ in cæteris rebus, ac voluptates vitæ introeuntes suffocant sermonem: isq; redditur infructuosus. Itaq; tales profecti in iisdem (rebus) suffocantur, **NEC FRUCTUM PERFERUNT**, Matth. 13. 22. Mar. 4. 18. 19. Luc. 8. 14.

L.

Huius generis (proh dolor!) hodie fœtus est uberrimus, qui in medio prædicationis Evangelicæ diligunt mundum, & ea quæ sunt in mundo, in quibus charitas Patris non est; Quoniam quicquid est in mundo, cupiditas carnis, & libido oculorum & fastus vitæ, non ex Patre, sed ex mundo est. Atqui mundus præterit, & cupiditas ipsius: qui verò præstant voluntatem DEI, manebunt in æternum. I. Joh. 2. 15. 16. 17.

LII.

De his Apostolus **JACOBUS** cap. 4. 4. *Adulteri, & adulteræ, an nescitis, (inquit)*